

# Piotr Dawid

---

## In natali sancti Stanislai Episcopi et Confessoris : (lectio I)

---

Collectanea Theologica 17/1-2, 179-182

---

1936

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

## LE TEXTE.

*IN NATALI SANCTI STANISLAI EPISCOPI  
ET CONFESSORIS<sup>1</sup>).*

*(Lectio I<sup>2</sup>).*

*Olim a gentilium oculis detersa caligine. et ab eorum cordibus infidelitatis gelide hieme secedente. vernalis ex eo successit amenitas redolentium florum venustate decora. quod ecclesie prius deserte ac sterili filii devotione precipui. valloque constantie premuniti nascuntur. qui ut flores primevi et diffusam spirant suavitatem odoris. et uberioris per Dei gratiam fructum sibi proferunt honestatis. Sicque filiorum sibi multitudine proveniente innumera. suique loco a mari usque ad mare tentorii dilatato. infra ipsius invaluit terminos vox turturis gemitus ac doloris. dum seva mitescens tyrannorum crudelitas. ydolis exterminio traditis. ad lamenta penitentie suffragante illo cujus stupenda sunt opera. mirifice se convertit. Gaudeat itaque ob hoc ipsa ecclesia. quae probrose detrimenta sterilitatis abiciens. salubris incrementa fertilitatis suscepit. ac nuptiali federe nunc illa gratiosa conjungitur. a quo priusquam esset assumpta de gentibus. invenerat se desertam. Letetur igitur emuleque sue de terrestri etiam ejecte Jerusalem. synagoge ridelicet dudum sibi hujus sterilitatis incomoda impengenti secura respondeat. quia jam sue prolix fecunditate celestis muri Jerusalem cicatrix obducitur. et que antiqui habitatores vacua domicilia reliquerunt. ipsa sue universitatis illustrabat presentia. felici postmodum perfectione sui atque integritate gaudente. Porro ne hujusmodi exuberante letitia quispiam in valle*

---

<sup>1</sup>) Nous croyons utile de publier intégralement ces leçons et non pas seulement la conclusion cracovienne. On remarque un système de ponctuation destiné moins à marquer les divisions logiques de la phrase que ses divisions rythmiques; la bulle est en effet rédigée en une prose d'art dont les membres se terminent par des clausules rythmiques de cursus; les points, que nous donnons ici d'après le manuscrit, suivent chacune des clausules qui devaient être marquées dans la lecture publique.

<sup>2</sup>) Le début des autres leçons n'est pas indiqué.

*miserie morientium terra requiem posset sibi polliceri continuam. cuius vita est adversus inimicorum ingruentia bella exterorum cas- tra militia super terram. ac ne predicta ecclesia que mater est cunctorum fidelium materne conditionis expers existeret. si solitas presertim in partu quorumdam filiorum suorum matrum parientium molestias non subiret. interdum instauratur quodam modo sibi ad- versitas opportuna. sicut in passione pie memorie beati Stanislai cracoviensis episcopi cuius meritis prefata refulget ecclesia patuit evidenter. Cum enim idem in sortem pontificalis ministerii digne vocatus a Domino. super gregis sibi commissi prudenter custodiam vigilaret. hostium sagaciter exploravit insidias. malignantium antici- pavit consilia. emulique nostri deprehendens laqueos ipsius caute retiacula dissolvebat. Hic nempe pro suis ovibus cor suum tradide- rat ad vigilandum diluculo. ut si quem gravi forte deprehenderet temptatione concussum. mox ubere consolationis exhibito eum eri- geret desolatum. et quem in bono proficientem adverteret. eum gra- tulationis ubere protinus confortaret. ut non minus per hoc deficientibus quam proficientibus subditis se claris indicis ostenderet esse patrem. Verum cum non sine interne mentis angustia. regem polo- norum nomine Bolesianum (sic) tantum horrendis voluptatibus su- bici. carnisque nephandis illecebris cerneret enervari. ut in passiones ignominie traditus. et inhumanis contumeliis afficiens corpus suum. mulierum mammillis ayulsis propriis exinde liberis. catulos appone- ret miserabiliter educandos. ne execrandam fovere malitiam et ini- quitati ejusdem regis videretur prefatus pontifex per dissimulatio- nem favere. postquam ipsum a premissis flagitiis sedula et paterna correctione evocare non potuit. in ipsum consulte medicinalem Petri gladium exercuit in spiritu lenitatis. sperans ut percussus dolens. ad percutientem se in humilitate rediret. dominum exercituum sup- pliciter requirendo. Sed ipse indurato corde medicinam exhorrens. et increpationem abhominans discipline. immo malleum velut stipu- lam reputans. non solum nulla penituidine se correxit. verum etiam ad peiora in sue dampnationis cumulum provocatus. juxta aram non ordini non loco nec tempori deferens. jussit pontificalibus in- dutum antistitem per suos satellites diris corporis cruciatibus depu- tari. Sed ipsi quotiens in eum irruere temptant. totiens compuncti totiens mansuescunt prostrati. Et tunc idem rex sue inseviens im- petuosus tyrannidi. manus in eum convertit sacrilegas. sponsum e gremio sponse. pastorem abstrahit ab ovili. patrem inter filie amp-*

*lexus. et filium in visceribus pene obtruncavit maternis. faciens irri-  
tatus atrocitate ferali ipsius pro dolor corpus inhumaniter in frusta  
concidi. velut singulis membrorum partibus pene inflictio deberetur.  
Sed ille apud quem patientia pauperum non peribit in finem. non  
solum rutilantibus hujus sacratissimi corporis partes splendoribus  
illustravit. verum etiam ipsum nullo in eo cicatricis apparente ves-  
tigio integritati restituit. et aquilarum suarum presidio miraculose  
a ferarum morsibus preservavit. Gustato denique acerrimo ob ze-  
lum justitie calice passionis. cum ab eodem tyranno totaliter puta-  
retur consumptus. ecce ut Lucifer oritur. et quasi meridianus fulgor  
in firmamento consurgit. propter quod ejus faciem in suis nonnulli  
necessitatibus devotissime deprecantur. Ipse quidem defossus. se-  
curus dormit. requiescit et non est qui jam ipsum exterreat. Nec  
mirum quia civitatem illam honoris et glorie corona insignitus in-  
habitat. ubi est mansio secura. populus sine murmure. ac patria ia-  
totum continens quod delectat. Verum ne militans ecclesia de talib  
ac tanto patrono sic atrociter sibi subtracto. inconsolabiliter quasi  
gemitus singultuosos emitteret. si beneficiorum ipsius affluentia  
eam non contingeret sepius delectabiliter irrigari. ecce gloriosus in  
sanctis suis Dominus volens ejusdem patris plenitudinem gloriose  
indiciis exprimere manifestis. et prestolantis ecclesie grata conferre  
super hoc recreationis remedia. fecit ipsum magnis et famosis mi-  
raculis coruscare. De quibus facta extitit felicis recordationis domino  
Innocentio pape quarto et fratribus suis dominis cardinalibus prout  
debuit per testes ydoneos plena fides. quod ejus inter sanctos ce-  
teros implorare subsidium. reputatur merito non indignum. Nam  
mortuis vita. lumen cecis. auditus surdis. verbum mutis. claudis  
gressus. epilepticis cerebri robur. et demoniacis immundis ab eis  
rejectis spiritibus. corporum requies ad ejus invocationem nominis  
celesti dextera subito conferuntur. Et ne hujusmodi rutilantem lu-  
cernam sub modio periculose abscondi contingeret. quam idem  
Dominus tot mirificis signis recte disposuit super ecclesie cande-  
labrum honorifice collocari. presertim cum ex hoc ignorantium  
Deum propellantur tenebre. confundatur perversum hereticorum  
dogma. et fidelium beata credulitas augeatur. predictus summus  
pontifex eorumdem fratrum nec non et prelatorum omnium tunc  
apud sanctam sedem existentium communicato consilio. predictum  
beatum Stanislaum episcopum digne duxit sanctorum catalogo  
adscribendum. Statuit itaque prefatus pontifex. ut octavo idus maiis*

*die videlicet quo mortis absolutus vinculo victurus perempsiter ad fontem superne prodiit voluptatis. festum ejusdem prout miranda ipsius meritorum magnitudo exigit. a Christifidelibus celebretur. ut id eis de thesauris celestibus ejus pia intercessione proveniat. quod ipse prestante Christo percepisse dinoscitur. et possidere perpetuo gloriatur. Gaudeat itaque mater ecclesia quia talem et genuit et educavit filium qui multos in lucem suis produxit exemplis. et ad perfectum Christi servitium pleno magisterio informavit. Letetur et devota turba fidelium. quia rex celorum et dominus. servum suum ad suum preciosum et preclarum palatium cum gloria introduxit. Gratias ergo agamus gratiarum omnium largitori. qui temporibus nostris in quos juxta apostolum immo diu post apostolos fines seculorum devenerunt. ad confirmandam catholice fidei puritatem. et ad corda fidelium in sui redemptoris amore accendenda. sanctum suum mirifice magnificavit. et lucernam super candelabrum posuit. ut omnes qui in domo ipsius congregati sumus. ipsius gaudeamus beneficio bonitatis. Rogemus etiam devotissime conditorem nostrum. ut plebem suam in sancti sui veneratione congregatam. a se non repellat. nec expertem gratie sue relinquat. sed gloriosi pontificis sui meritis quem post ipsum et piissimam ejus genitricem specialem meruimus optinere patronum. nobis presentet veniam delictorum. qui inter ceteros sanctos suos celestium ei plenitudinem contulit gaudiorum. Jhs Xp Dominus noster cui cum Patre et Spiritu sancto sit honor et gloria in secula seculorum. amen.*